

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:  
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam  
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius  
notitiam, informatio**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

In festo circumcisionis Chrsti

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

# In Festo Circumcisionis Christi.

*Evangelium Luc, 2, v. 21. --- 22.*

## EXORDIUM.

**C**Um Noe, præco justitiæ tempore diluvii totum annum in arca perseverasset & oculis fuit vidisset, quomodo omnis caro, spiritu viventi prædita, in aquis suffocata perisset: ex animo latatus est, cum Deus ipsum arca egredi iussit. *Quo vero gratum suum animum declararet, adificavit altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis obrulit holocausta super altare.* Odoratusque est Dominus odorem suavitatis, & dixit ad eor suam: Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines: quia figmentum cordis humani malum est ab adolescentia sua, Gen. 8. v. 16. & seqq.

Nos Dilecti! ex arca quasi jam egredimur, in qua anno præterito sub tutela Altissimi, ab omni incommodo farti teçti conservati sumus, & ad contestationem gratitudinis nostræ Deo nostro exstruimus:

1. *Aram recordationis*, reminiscentes maximæ beneficentiæ, quam Deus nobis præterito anno plurimis suis beneficiis exhibuit. Totus mundus bellis ardet: nos in pace habitavimus, unusquisque sub vite sua, & sub ficu sua, 1. Reg. 4. 25. Alibi locorum pestilentia multa millia exstinxit: nobis aer salubris fuit, ut neque pestilentia, neque alii morbi contagiosi nobis negotium facesserint. Aliis in locis navicula Christi impugnata fuit: sed apud nos instrumentum pacis adhuc in vigore suo persistit, ut

quotidie in templis nostris conveniamus, & prædicemus, hoc salutare Deus posuit nobis, Psal. 12, 6.

Hæc & alia plura, quibus nunc non est narrandi locus, grato animo recordari debemus, memento horum Israel, Esa. 44, 21. Quis sapiens, & custodiet hæc? & intelliget misericordias Domini? Psal. 107. v. ult.

2. *Aram gratiarum actionis*, ut Dominum celebremus, & benignitatem ejus prædicemus, quam nobis exhibuit: Misericordia enim Domini, quod non consumti sumus, Thren. 3. 22. Sicut enim aquila super pullos suos volat: sic Dominus alas gratiæ suæ super nos expandit, in omnibus tribus Hierarchiis, ut in vigore suo persistant, & non destituamur omni bono, Psal. 34, 17. Hoc utique gratiarum actionem meretur! Laudate & celebrate Dominum quantum potestis; nihilominus tamen ille longe est præstantior, Sir. 43. v. 32. 33.

3. *Aram orationis*, & invocamus Dominum, qui nos per hunc annum, & omnes dies vitæ mirifice defendit, ut porro nos sibi commendatos habere, & cum novo anno novam salutem & benedictionem largiri dignetur, in Ecclesia, ut sermo ejus velociter currat Ps. 147, 15. ne labor noster inanis sit in Domino, 1. Cor. 15, ult. novam salutem & benedictionem concedat in curia, ut misericordia & veritas obviant sibi: justitia & pax osculentur se, Psal. 85. v. 11. nec minus

nova

nova salute & benedictione nos ornent, in statu œconomico, quo illi se recolligant, qui per diuturniorem belli tempestatem ad incitas ferme redacti sunt. Quem enim hic Dominus saluum faciet, ille saluus erit, Jer. 17. v. 14. & cui ille benedicit, benedictus erit, Num. 22, 6.

Hoc triplex illud altare est, quod in exordio novi hujus anni, Domino ædificare debemus, in nomine Domini nostri Jesu Christi: in quo hac vice, laborem quoque nostrum Ecclesiasticum ordimur, accessum facientes ad Evangelii tractationem, cujus ductu, pro instituti ratione meditabimur:

I. Ἀποστολογίαν, sive notitiam nostri.

II. Χριστογνωσίαν, sive notitiam Christi.

J. J.

### Exegesis.

Quemadmodum alias Momi temerarii sunt in judicando, ut cœlestis sapientia justificetur ab omnibus filiis suis, Luc. 7, 35. sic etiam Circumcisio multis ridicula & absorta visa fuit, ubi Israelitici mares præputium carnis suæ præcidi, & jussu Dei corpus suum mutilari curarunt: sed quam ardua res fuerit, Evangelium prælectum satis probat, in quo audimus, quod Servator ipse legi huic se subjecerit, & octavo die à nativitate sua circumcisus fuerit.

Ἀποστολογίαν, sive notitiam nostri hic discimus, quando intuemur:

I. *Jesuuli Circumcisionem.* Quia enim ex Judæis erat, quoad carnem, Joh. 4, 22. unde expresse, promissum semen Abrahæ vocatur, Gal. 3, 40. Circumcisionem quoque assumptam, in signum fœderis, quod Deus cum Abrahamo & semine ejus fecerat, Gen. 17. v. 10.

Si rem recte ponderemus, circumcissione Dominus non indignisset. Erat enim sanctissimus, Dan. 9, 24. Verum nostri causa circumcissionem subiit, ut testaretur, se verum esse hominem & communicasse carni & sanguini sicut pueri, Heb. 2, 14. Ideoque in mundum venisse, ut nostri causa legis satisfaceret, & maledictionem legis in se susciperet, quam peccatis nostris promeriti eramus. Quod enim impossibile erat legi, Deus filium suum in carnem mittens, de peccato damnavit peccatum in carne, Roman. 8.

v. 3. 4.

Sicuti autem Judæi juxta corporalem carnis circumcissionem, recordari tenebantur spiritualis cordium circumcissionis, de qua, Jer. 4. v. 4. Sic nos multo magis decebit, postquam corporalis circumcisio desit, ut imprimis hoc die Circumcisionis Christi, spirituales cordis circumcissionem meditemur, juxta exemplum, quod reliquit nobis Christus. Non enim qui in manifesto, Judæus est, Rom. 2. v. 28. 29.

Hic examines velim te, mi Christiane! utrum hic quod officii tui est, sedulo observaveris, & spirituali circumcissioni intentus fueris?

Hoc ipsa rei necessitas flagitat. Quemadmodum enim in V. T. nullus incircumcisus in populo Dei esse, aut vesci ex Phasce Domini poterat, Exod. 12, 48. Sic odit Dominus:

1. *Incircumcisa pectora*, Act. 7. v. 51. Hinc Moses: Circumcidite præputium cordis vestri, & cervicem vestram ne induretis amplius, Deut. 10. v. 16. Hi illi sunt, qui pleni carnalibus desideriis, 1. Pet. 2, 11. aut falsa doctrina fascinati sunt, sicut Galatæ, c. 3. v. 1.

2. *Incircumcisalabia*, de quibus Moses conqueritur, Exod. 6, 12.

Hoc

Hoc de illis intelligendum est, quia nomen Dei, Christi sanguinem, passionem, mortem & Sacramenta blasphemant: Ut & de convitiatoribus & calumniatoribus, qui proximum contumeliis lacessunt, & de eo detrectant, tanquam de malefactore, 1. Pet. 2. 12. Hos Dominus odit, & detestatur, Prov. 6. v. 16. 19.

3. *Incircumcisa audiendi organa.* De his queritur Jeremias, c. 6. 10. & Stephanus, Act. 7. 51. Huc illi pertinent, qui verbum Dei superficialiter audientes terrenas cogitationes in mentevolvunt, quando in æde sacra verbo Dei intenti esse debent, & cum Deo hoc seculum diligunt, 2. Tim. 4. v. 10. & ita naufragium salutis faciunt, 1. Tim. 1. v. 19. Aliorum membrorum eadem ratio est: ideo accurate probate, & quando deprehendis, quod in veteri anno, incircumcisi cordis, labiorum, aurium, manuum & pedum incircumcisorum ministerio abusus es, memineris velim, hodie diem circumcisionis esse. *Cultra itaque legis circumcidimini Domino h. e. quiescite agere perverse, & discite benefacere, Esa. 1. v. 17.* Sic Deus, cum novo hoc anno gratiam suam renovabit, & tandem in cælesti Hierusalem ad verum Jubilæum nos deducet, ubi cum viginti quatuor senioribus canticum novum cantabimus, Apoc. 5. 9. In tanta gloria quam oculus non vidit, auris non audivit, 1. Cor. 2. v. 9.

II. *Temporis observationem.* Circumciscus enim est Servator, præcise die octavo, sicut Deus mandaverat Gen. 17. 12.

Hic probent se Christiani parentes, utrum infantes suos vane ostentationis & pompa ergo, ultra iustum tempus non baptizatos reliquerint?

In Ecclesia primitiva, quotannis bis dun-

taxat baptizare consueverunt, nempe in paschatos & pentecostes festo, ex hac ratione, quia Petrus in prima pentecoste, circiter tria millia animarum baptizaverat, Act. 2. v. 41.

Alii infantes ante diem octavum, sicut nec in V. Test. ante diem illum circumcisi sunt, non baptizandos esse, autumarunt. Utrumque scriptura repugnat. Periculum enim hic in mora est. Facile quippe fieri potest, ut infantulus morte abripiatur: quòd si igitur sine baptismo id fiat, parentibus ideo ratio reddenda erit. Hinc olim in peculiari concilio a 66. Episcopis ex verbo Dei decretum est, quod baptismus non ad diem octavum differri, sed post ipsam nàvitatem, infanti impertiri debeat, ex hac causa, quod nulli hominum nato misericordia Dei & gratia deneganda sit. Atqui Baptismus medium illud est, quod Deus ad regenerationem ordinavit, hoc igitur qui aspernatur, spernit consilium Dei adversus seipsum, Luc. 7. v. 30.

Parentes igitur hac in parte, quod sui officii est, facere, & infantes suos quamprimum fieri potest, baptismo initiari curent, sic bonum opus fecerunt, nec incommode saluti suorum consuluerunt. Perstat enim effatum Christi: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur, Marc. 16. 16.

III. *Nominis impositionem,* quod est nomen Jesu: nomen super omne nomen, in quo omne genu flectatur, Phil. 2. 9. Judæis enim usitatum fuit, ut in Circumcisione infantes suos nominibus insignirent, sicut historia Baptistæ probat, Luc. 1. 59.

Quia igitur Baptismus in locum circumcisionis successit, Col. 2. 11. laudabilis sane mos est, quod in baptismo infantibus no-

mina imponuntur, quibus per omnem vitam fœderis commonefiunt, quod cum Deo inierunt, quod alias stipulatio bonæ conscientia dicitur, 1. Pet. 3, 21.

*Hic probens se Christiani parentes, utrum infantibus suis Christiana nomina imposuerint, vel nominibus Patriarcharum & Apostolorum abusi, iidem canes & feles vel alia id generis bruta denominaverint?*

*Nomen dicitur quasi novimen, ut per illud natura hominis & indoles innotescat.*

Id patet in Abrahamo, cujus nomen Deus immutat, ut non amplius Abram, quod interpretatur, pater excelsus: sed Abraham, h. e. pater populorum vocari debeat, Gen. 17, v. 5. Ad eundem modum dixit Deus ad Jacobum: Nequaquam Jacob deinceps appellabitur nomen tuum, sed Israel: quia luctatus es cum Deo, & cum hominibus, & prævaluisti, Gen. 32, v. 26.

Quandocumque igitur nomina Sanctorum bestis, utpote canibus, felibus aliisque applicantur, hoc ipsum non modo in contumeliam Sanctorum: sed Dei ipsius vergit, cujus gratia & misericordia est in sanctis ejus, & inspectio in electis ejus, Sap. 3, 9.

Imprimis vero Christiani parentes id operam dare debent, ut infantibus suis, tanquam à Christianis prognatis, & Christo infertis, nomina quoque Christiana imponant, quorum occasione salutariter admoneri, & bonis moribus instrui possint.

Qui nomen Johannis obtinet, hoc ipso gratia recordari debet, qua se Deus in baptismo gratiosum reddidit, Tit. 3, 5.

Qui Petrus vocatur, hinc discere debet, quod in fide bene fundatus, & ut petra immobilis persistere debeat, ne circumferatur omni vento doctrina, Eph. 4, v. 14.

Et ut de fœmineo quoque sexu dicamus:

Quæ Maria nomine insignita est, ut vestigiis B. Mariæ insinat, ejusque pietatem, castitatem modestiam, aliasque virtutes imiteretur, curare debet.

Cui Carbarina nomen est, ut opere ipso id ostendat, & ab omni inquinamento carnis & spiritus munda sit. 2. Cor. 7, 1.

Hæc & similia nomina salutares admonitiones suppeditant, & à Deo digna reputantur, quæ in librum vitæ inscribantur: & quando illi, qui risdem ornati sunt, vita sua illis respondent, Deus aliis non vis nominibus eos appellabit, quæ nemo sciet, nisi qui acceperit, Apoc. 2, v. 17. Ut non amplius Benoni, filii dolorum, sed Benjamin, filii dextræ vocari debeant, & hæreditario accipere, paratum sibi regnum à constitutione mundi, Matth. 25, 34.

#### De Secundo.

**P**ergemus nunc ad alteram partem, & 2. 27. v. 10. sive notitiam Christi, meditatiuri. Hic nobis contemplandus proponitur:

1. *Tanquam legis consummator.* Propterea enim ille circumcisus est, ut hinc colligere debeamus, eum in finem se venisse in mundum, ut totam legem implere velit. Qui enim circumciditur, debitor est universæ legis faciendæ, Gal. 3. Atqui Christus circumcidi voluit, non necessitate adactus: sed ultro, ratione nostri, ideoque hoc ipso obligavit se, nostri loco legem implere, ut ipse ait: Nolite putare, quoniam venerim solvere legem aut Prophetas Non veni solvere, sed adimplere, Matth. 5, 17.

*Hoc magno nobis solatio est.* Propter peccata omnes maledictione onerabamur, juxta illud, Deut. 27, v. ult. Quis non hic exhorre-

horresceret? Nonne Cain adeo percussus est, à Deo maledictione oneratus, ut dixerit: Major est iniquitas mea, quam ut remittatur? Gen. 4. v. 13. Idem nobis evenire debuit. Verum Christus interposuit se, & exsolvit, quæ non rapuit, Psalm. 69. v. 5. Jam Pauli illud locum habet: Non sub lege estis, sed sub gratia, Rom. 6. 14. Rom. 5. v. 18. Die novissimo nos Christus à dextris suis sistet, amice compellabit, dicens: Venite Benedicti Patris mei, hæreditario accipite, paratum vobis regnum à constitutione mundi, Matth. 25. v. 34.

Ecce! hoc Christus nobis acquisivit. Si soli nobis relicti fuisset, æterna maledictio nos obruisset. Non enim erat, qui faceret bonum; non erat, usque ad unum, Rom. 3. 12. ideoque impossibile nobis erat legem implere: sed potius jugum erat, quod nequenos neque patres nostri portare poteramus, Act. 15. v. 12. Sed quia Christus propter nos legi se subjecit, ideo à plenitudine ejus accipere possumus gratiam pro gratia, Joh. 1. 16. Qui enim in eum credit, justus est, Rom. 10. v. 4.

II. *Tanquam futura redemptionis subarhator.* Mercator candidus, ait Chrysostramus: quando nundinas accedit, ut ab aliis mercatoribus pretiosas merces coemat, primo illis arrhandat, postmodum, priusquam ex urbe decedat, totum debitum exsolvit.

Ad eundem modum Christus genus humanum, quod sub potestate tenebrarum captivum tenebatur, Col. 1. 13. tanquam spiritalis mercator, florenis suis aureo sanguineis redimere voluit, ideo patri suo cælesti auctoramentum confert, nempe guttas sanguineas, quas in circumcisione profudit: Alteram pensionem præstitit in hortu oliveti, ubi sudorem sanguineum emisit,

Luc. 22. 44. Et in prætorio Pilati, ubi flagellatus & spinis coronatus est, Joh. 19. 1. Donec tandem in ligno crucis ultimam pensionem persolvit, & alta voce clamavit, Consummatum est, Joh. 19. 30.

Nos hinc efficaci solatio perfundimur. Cum angelus percutiens in Ægypto omne primogenitum percuteret, ab homine usque ad pecus, Israelitæ agnum paschalem mactare, ejus sanguinem in mundo vasculo excipere, eoque utrumque postem in superliminaribus domorum inungere tenebantur: hoc ipso angelus percussor deterritus est, ne damnum is intulerit, Exod. 12. v. 5. & seqq.

Nos etiam Pascha habemus, quod est Christus pro nobis immolatus, 1. Cor. 5. 7. quando itaque limen cordis nostri in vera fide sanguine ejus conspergimus, angelum percussorem præterire oportet, juxta illud Damiani: *Terretur adversarius vester diabolus, cum videt Christi rubensia.* Nemo proinde in peccatis suis desperare, sed ad scaturigines Christi sanguineas se recipere debet, cum Bernhardo dicens: *In cruore tuo lotum, me commendo tibi totum.* Et iterum: *Turbabor, sed non perturbabor, quia vulnere Christi recordabor.* Vel, ut Ecclesia canit:

Torquebor à probris meis,  
Cor confcium dolebo:  
Ast sint arenæ quot maris,  
Pessum tamen nec ibo;  
Mortis recordabor tuæ,  
Et vulnere cum sanguine,  
Securus hæc latebo.

Mein Sünd mich werden Fräncken sehr /  
Mein Gwissen wird mich nagen /  
Denn ihr sind viel wie Sand am Meer /  
Doch wil ich nicht verzagen.

Gedencken wil ich an deinen Tod/  
 Herr Jefu/deine Wunden roth /  
 Die werden mich erhalten.

Vere enim dicit B. Hieronymus : *Sanguis Chrifti eft clavis paradifi.* Qui hoc per fidem inftitutus eft, is hic fortiter pugnare, & per mortem in vitam perumpere potest, ficut Stephanus cælos apertos vidit, & per Chrifti majestatem in perfecutione fua efficaciter confirmatus eft, Actor. 7. verl. 56.

III. *Tanquam anni Coronator*, qui annum coronat benignitate fua, ut David ait, Pfal. 65, 12. Ideo nomen Jefu, five dies Circumcifionis Chrifti principem locum tenet in Calendario, quia nomen hoc fuaviffimum in Circumcifione accepit, Luc. 2, 21. Ita quali coronam anno imponit :

1. *In Ecclesiasticis*, quod attinet beneficia fpiritualia, de quibus toto anno in Ecclesia prædicatur. *Primò* coponitur *fanctiffima ejus conceptio*: Deinde *salutifera ejus incarnatio & natiuitas* fequitur. Tertio, *Circumcifio*, cui noftri caufa fe fubjecit. Quarto, *Baptifmus*, quo Jordancm, & omnes alias aquas fanctificavit. ut nobis mediante verbo inferviant, ad falutarem peccatorum ablutioem, & regenerationem in vitam æternam. Quinto, *prona ipsius obedientia*, qua patri obediens fuit usque ad mortem, mortem autem crucis, Phil. 2, 8. Sexto *Sepultura ejus*, qua lectum quali noftrum fovit, ut fepulchra non amplius fint, *cadaverum stabula*: sed *viventium dormitoria*, in quibus illi qui in Domino moriuntur, placide requiescunt à laboribus fuis, usque ad diem noviffimum, Apoc. 14. v. 13. Septimo, *descensus ejus ad inferos*, ubi captivam cepit captivitatem, Pfal. 68, 19. & exspolians principatus & potestates, traduxit confidenter palam, tri-

umphans illos in feipfo, Col. 2, 15. Octavo, *gloriosa ejus refurrectio*, qua destruxit mortem, illuminavit autem vitam & incorruptionem per Evangelium, 2. Tim. 1, 10. Nonno *triumphans ejus ascensio*, qua nobis viam stravit, & mansionem paravit in domo Patris fui, ut ubi ipse est, & nos fimus, & claritatem videamus, quam ipsi pater dedit, Joh. 17, 24. Decimo, *exaltatio ad dextram Dei Patris in celo*, ubi jam est, & interpellat pro nobis, Rom. 8. v. 34.

Si hæc beneficia fervatoris noftri nobis ad animum revocamus, & devote consideramus, utiq; elegantem coronam habemus, quæ per totum annum fe extendit, ut fit verus *annus*, ficut Græci annum exprimunt, ubi femper unum alterum excipit, & ubi ad finem pervenimus, denuo rursus incipimus, ficut in corona neque principium, neque finis apparet, hinc David: Ut fcuti bona voluntatis coronasti nos, Pfal. 5. v. ult.

2. *In Politicis*, quod corporalia bona concernit. Sicut enim lunam fecit in tempora: & fol cognovit occasum suum, Pfal. 104. v. 19. Sic etiam done & bona fua per totum annum ex ordine distribuit, iisque implet omne animal beneplacito, Pfal. 145. v. 16. Quod facile ex inductione patet?

Sicut igitur corona ex variis floribus contextitur: Sic Deus annum, in duodecim mensibus distributum, variis beneficiis, quæ singulis mensibus recentia sunt, exornavit :

Terram coronavit bonis,  
 Ut frugibus fit fertilis,  
 Montes rigat cum vallibus,  
 Gramen parando pecoribus :  
 Et terra panem suggerit,  
 Vinumque large fuppedit,  
 Quantum cuique fufficit.

Re-

Redundat unda piscibus,  
 Sic consulit defectibus,  
 Exclusa ut ova conspicias  
 Pullis volucrum vesceris:  
 Sic esculenta fumimus,  
 Boum suū nq; carnibus,  
 Ovesq; largitur Deus.

Gott hat die Erde zugericht/  
 Läßt an Nahrung mangeln nicht/  
 Vergund Thal die macht er naß/  
 Daß dem Vieh auch wächst sein Gras:  
 Auf der Erden Wein und Brod/  
 Schaffer Gott und gibts uns satt/  
 Daß der Mensch sein Leben hat.  
 Das Wasser das rausß geben Fisch/  
 Die läßt Gott tragen zu Fisch/  
 Eyer von Vögeln eingelegt/  
 Ueber den Junge darauf geheckt:  
 Müßten der Menschen Speise seyn/  
 Hirsche/Schafe/Rinder/Schweim/  
 Schaffet Gott und gibts allein.

Nonne hæc præclara corona est, quæ Servator noster annum coronat, dum non modò panem & vinum, & quæ uterius vitæ corporali inserviunt, è terra educit, Psal. 104. v. 15. sed benedicit quoque nos omnibenedictione spirituali, in cælestibus, Eph. 1. 3. hæc duplicia illa sunt, quæ de manu Domini suscepimus, Esa. 40. v. 2.

Hæc postquam ita ad mentem mihi revocavi, nihil melius, salutarius nihil reperire potui, quod vobis *strena loco* offerre, quam dulcissimum nomen Jesu, quod Servatori nostro in circumcissione datum est, non ex parentum arbitrio, sed mandato Dei, quod jam ante nativitatem per Archangelum Gabriel, & Josepho & Mariæ indicatum erat, Matth. 1. v. 21. Luc. 1. v. 31.

De hoc nomine ait Ambrosius: *Omnia Jesus nobis est.* Quod si igitur omnia est, pro strenâ quoque nobis inservire poterit. Optimum namque quod in corde meo habeo, est Nomen Jesu.

*Nomen Jesu strenna vestra sit, vos Christiani Magistratus!* Dominus enim, qui hoc nomen gerit, est Rex Regum, & Dominus Dominantium, Apoc. 19. v. 16. cujus beneficio omnes Magnates terreni imperant, Prov. 8. v. 15. 16. Quod si igitur vita vobis acerba redditur, ut cum Mose mortem idè accersatis, Num. 11. v. 14. Solatium capite ex nomine Jesu, hic inter alia vocatur consiliarius, Esa. 9. v. 6. quod si igitur testimonia ejus consilarii vestri erunt, Pl. 119. v. 24. salutare vobis consilium non deerit, mirabile enim facit consilium, & magnificat sapientiam. Esa. 28. v. ult.

*Nomen Jesu strenna vestra sit vos cives & subditi.* Dominus enim, qui hoc nomine appellatur, etiam in Capernaum civis fuit, ideoq; pro se & Petro didrachmam solvit, Matth. 17. v. ult. Ita & vos date, quæ sunt Caesaris Caesari, & quæ sunt Dei Deo, Matt. 22. 21. Si tempora difficiliora sunt, nolite desperare, facile ille media, quibus indigentis procurare potest, sicut sibi & Petro prospexit, Matth. 17. v. ult. Dilectis enim suis dat in somnis, Psal. 127. v. 3.

*Nomen Jesu strenna vestra sit vos dilectissimis Auditores!* Hic enim Dominus habet clavem David, Apoc. 3. 7. & aperire potest sensum, Luc. 24. 45. & corda aperire, Act. 15. 14. ut verbum ejus fructum ferat in patientia Luc. 8. 15. Quod si igitur in hoc nomine templum frequentatis, in hoc nomine oratis, in hoc cantatis, & conciones auditis, omnia vobis in salutem cedent, salvabit enim verbum hoc animas vestras, Jac. 1. v. 21.



*Nomen Jesu strena vestra sit vos Christiani parentes!* Qui enim hoc nomen profiteatur, vocatur pater aternitatis, Esa. 9. v. 6. id eò educate liberos vestros, in disciplinâ & admonitione Domini, & vobis quoque pater erit, siquidem ex eo omnis paternitas, Eph. 3. v. 15.

*Nomen Jesu strena vestra sit vos filii!* Qui enim hoc nomen fert, nostri quoque causa puerulus factus, & parentibus suis subditus fuit, quod si idem feceritis, benedictio Domini sequetur vos, & crescetis sapientiâ, ætate & gratiâ apud Deum & homines, Luc. 2. v. 51. 52.

*Nomen Jesu strena vestra sit, vos Mechanici!* Qui enim hoc nomen obtinet, filius est fabri, quin & ipse ob operam parenti putativo præstitam faber appellatur, Marc. 6. v. 3. quodcunque in vocatione vestra facitis, cum Jesu facite, sic labores manuum vestrarum manducabitis, beati estis, & bene vobis erit, Psal. 128. v. 2.

*Nomen Jesu strena vestra sit vos servi & ancilla!* Cui enim hoc nomen est, non venit ministrari, sed ministrare, Matth. 20. v. 28. & servus factus est, Esa. 53. v. 11. Estote modò fideles super pauca, quæ vobis demandavit, & constituet vos super multa, Matth. 25. v. 21. 1. Cor. 7. v. 22.

*Nomen Jesu strena vestra sit vos inopes & opulenti!* Scimus enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, 1. Cor. 8. v. 9. Quod si itaq; pauperie laboratis, respicite Dominum vestrum, qui non habuit, ubi caput suum reclinaverit, Matth. 8. v. 20. Sin divites: rivuli vestri in plateas deriventur, necessitatibus sanctorum communicantes, Rom. 12. v. 18. 1. Tim. 6. v. 18. Mutuò enim dat Domino, qui miseretur pauperis, Prov. 19. v. 17.

*Nomen Jesu strena vestra sit, vos agroti &*

*valentes!* Dominus enim, qui hoc nomen usurpat, est dux vitæ, Act. 3. v. 14. & virtus ejus in infirmitate perficitur, 2. Cor. 12. v. 9.

*Nomen Jesu strena vestra sit, vos tentati!* Dominus enim, qui hoc nomine vocatur, tentatus est, sicuti nos in omnibus, excepto peccato, in quo igitur passus est ipse tentatus, potens est eis, qui tentantur, auxiliari, Hebr. 2. v. ult.

*Nomen Jesu strena vestra sit vos moribundi!* Cui enim hoc nomen inditum, mortem quoque sustinuit, eaque mortem fidelium dulcoravit, ut jam non amplius mors sed placidus somnus sit, Joh. 11. v. 11. qui in hoc nomine placidè obdormit, in pace abit, uti Simcon, Luc. 2. v. 29. & requiescit in pace, Esa. 56. v. ult. Beati enim mortui, qui in Domino moriuntur, Apoc. 14. v. 13.

Postremò, sicuti hic recens natus, hodie circumciscus Virginis filius, delineatur sicut lapis, in quo *septem oculi* sunt, Zach. 3. v. 9. Ita divinæ ejus providentiæ commendabimus, totum Christianum orbem, & in specie civitatem nostram. *Uno oculo respicere velit ecclesiam nostram*, & verbum suum conservare, ut inveniamus illud, factum est enim nobis in gaudium & latitiam cordis nostri, Jer. 15. v. 16. *Secundo, curiam nostram*, ut iudicium & justitia vigeat, in laudem bonorum, & vindictam malorum, Rom. 13. v. 3. 4. *Tertio, scholam nostram* & tam docentes quàm discentes spiritu suo sancto instruere, quò utrinque quod rectum est fiat, & hoc modo cælum locupletetur, Esa. 51. v. 16. *Quarto oculo intueri velit conamercia & opificia nostra*, quo illa vicissim incrementa capiant, nosq; re ipsâ comperiamus, quod Deus ait: Reddam vobis annos, quos comedit locusta, Joel. 2. v. 25. *Quinto oculo respicere dignetur egenos nostros*, usque pauperem

nem quotidianum largiri, ne deficiat in hac miseriarum valle. Verè enim pauper ubique jacet, Prov. 19. v. 4. sed Deus non est personarum acceptor, Act. 10. v. 25. *Sexto octavo contemplari dignetur civitatem nostram, eamque alis gratiæ suæ obumbrare, donec veniamus in eam civitatem, ubi abundantia gaudiorum, Psal. 16. v. ult. Se primo oculo intentus esse velit in domesticos fidei, qui persecutione urgentur, ut si exultatum abire cogantur, solatio suo eos reficere, & aliam mansionem ipsis procurare velit, juxta promissionem suam, Joh. 14. 2.*  
Hoc ita votum meum est, hæc ardens

precatio! O pater omnium credentium exaudi me! O Christe, Servator mundi annue precatiõni meæ! O Spiritus sancte, afflictorum consolator! Verè omnia nostra tristitia in gaudia: Da nobis in hoc novo anno, nova corda, quæ te venerentur; novas aures, quæ te audiant; novas linguas, quæ te celebrent; novos oculos, qui te respiciant; novas manus, quæ egenis distribuunt, novos pedes, qui in mandatis tuis ambulent: Sic veritatem laudabimus, bonitatem prædicabimus, misericordiam celebrabimus, nunc & in secula.  
Amen, Amen.

## In die Festo Epiphaniæ Domini.

*Evangelium, Matth. 2. v. 1. -- 12.*

### EXORDIUM.

CUM Ezechias Rex ad mortem periculosè ægrotasset, & Deus ad libitum ejus Solem decem lineis retrorsum reverti fecisset, ut ille hinc certior redderetur, quod reconvalescere, & ad quindecim annos vita ejus prorogari deberet: Rex Babylonis misit legatos suos ad eum, ut interrogarent de portento, quod acciderat super terram, 2. Chron. 32. v. 31.

Nos omnes, Dilecti! per tristem Protoplastorum lapsum, in eam infirmitatem incidimus, ut à planta pedis usque ad verticem, non esset in nobis integrum quiddam, Esa. 1. v. 6. Verum ex indebita caritate & misericordiâ, æternus Dei filius, in medio se stitit, & tanquam Sol justitiæ, decem lineis retrocessit, dum ærumnosus hominis filius factus est, qui aliàs ab æterno

magnus Deus, Tit. 2. v. 13. quem cœli cœlorum capere non possunt, 1. Reg. 8. v. 17.

Id Ecclesia hoc tempore prædicat, quando ita canit:

Qui clauditur nullo ambitu,  
Matris quiescit in sinu:  
Factus puellus parvulus,  
Qui cuncta servat maximus.  
Inops salutat orbitam,  
Ut largiatur gratiam,  
In arce ditet ætheris,  
Æquans beatis Angelis.  
Hæc cuncta nobis præstitit,  
Dilectio quod certa sit:  
Latetur hinc Ecclesia,  
Laudes canens in secula.

Dem